

initio imperii mansuetissimum ac clementissimum se exhibuit. Ita ut supplicio quorundam latronum subscripturus diceret: *Quam vellem nescire litteras!* At brevi adeo efferus est factus, ut satiari sanguine non posset.

VI. Apud S. Job, c. XXXIX. depingitur hypocrita sub typo struthionis, uti docet S. Gregorius, l. XXXI. moral. c. V. Primo enim: *Penna struthionis similis est pennæ herodii et accipitris*, inquit Deus ad Job; quia scilicet alas et pennas habet instar aliorum avium easque agitat dum fugit, ut volare videatur, revera tamen non volat, sed currit potius in terra, a qua non elevatur, nec in aerem libratur. Unde Gregor. in eum locum ait: *Struthio volandi speciem habet, sed usum volandi non habet: ita hypocritis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat.* Conficiunt se hypocritæ jejuniis, vigiliis, orationibus, ut aliqui viri justis; interim tamen his operibus cælum aut Deum non attingunt, sed in terra repunt, quia Deo per hæc placere non quærunt, sed hominibus, qui in terra morantur. Videntur aliqui suis operibus rapi velle usque ad tertium cælum: sed corporis mole prægravati a terra non elevantur, quia struthionis instar pennas devotionis habent breves, carnis vero pondus magnum.

Secundo, struthio: *Derelinquit ova sua in terra: Obliviscitur, quod pes conculcet ea aut bestia agri conterat: duratur ad filios suos, quasi non sint sui*, subdit ibidem Dominus. Ita hypocrita ova quidem honorum operum, et cum dolore parit, ea tamen sibi ab inani gloria eripi sinit; imo etiam gaudet contra naturam omnium animalium. Deinde, uti struthio ova parit, sed non fovet: ita hypocrita verba quidem profert, sed opere non complet.

Tertio: *Privavit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam*, uti ibi dicitur. Stoliditas hæc struthionis in eo sita est, quod cum equite sit altior, latere tamen se existimet, cum collum frutice occultaverit, teste Plinio, l. X. c. 1. Ita quoque hypocrita modo se humiliat coram hominibus, jam se suamque hypocrisin latere prorsus existimat; cum tamen ab oculatis, tandemque etiam ab hominum plebe plerumque deprehendatur ac cernatur.

Quarto: *Cum tempus fuerit, in altum alas erigit.* Tigurina legit: *Postquam adultus alas attollit.* Celeriter enim adolescit, et ex minima fit maxima. *Tria*, inquit Ælianus, l. XIV. c. XX. *ex minimis evadunt maxima animalia: ex aquatilibus crocodilus: ex volucris magna struthio: ex quadrupedibus elephantus.* Ita hypocrita primo quidem per fictam humilitatem minimum se præfert: at cum tempus et occasio fuerit, tum

alas attollit, et dilatat phylacteria sua, tum explicat superbiam suam, et despiciit inferiores, sicque ex minimo repente fit maximus. Attollit etiam alas, quia ut struthiones suis pennis obtinent et adornant ducum galeas: ita hypocritæ suis figmentis norunt obtinere summas dignitatum tiaras, episcopatus, præposituras, etc.

Quinto: *Deridet equum et ascensorem ejus*, subjicit ad extremum Dominus, cit. loc. Jobi. Hoc autem facit struthio primo, quia cursus sui celeritate equos superat. *Struthiocamelum*, inquit Xenophon, l. 1. de Cyri expedit. in Arabia, *nemo omnino capere potuit: tam longe enim modo pedum pernitate, modo vero alarum quasi velificatione promovebant, ut statim equites desperata præda insequi desiderent.* Unde et natura dedit ei cervinos pedes. Ergo ut struthio equum fugit pedibus cervinis, ita hypocrita laborem animo suo timido, estque tempore tribulationis pavidus et fugax, et tamen interim deridet equum et venatorem, hoc est, tribulationem et tribulatorem; quia fingit se cordatum. Secundo, deridet venatorem, quia, ut Plinius, l. X. c. 1. et Ælian. l. XIV. c. XXI. scribunt: *Cum propior facta est, ut a venatore capiatur, obvios lapides sic pedibus retro ad hostes versus tamquam funda jaculatur.* Ita et hypocritæ increpantes et calumniantes se, lapidibus impetunt contumeliarum, execrationum murmuris, etc. subitoque exandescunt, si non nihil eos lacessas.

VII. Denique, in hodierno evangelio describuntur nobis hypocritæ specie luporum, qui sub ovina pelle incedunt; quos proinde a fructibus cognosci, monet Dominus. Jam vero non est difficile discernere ab ove lupum etiam ovilla tectum. Primo enim, noscitur ex voce quia ovis versus terram balans emittit vocem: lupus vero ululans in cælum intendit. Ita vir vere probus humiliter de se loquitur, et crebro secum expendit, quod si terra, et in terram reversurus: at vero hypocrita sublimia de se prædicat, seque ipsum extollit, nec de terra et morte sua cogitat pomum sæpe foris eximæ pulchritudinis et integrum illæsumque apparet. Sed exiguum foramen, unde irrepsit vermis, prodit esse læsum ac putridum. Hypocritam prodit os, exiguum foramen, quo seipsum laudat et alios vituperat.

Secundo, noscitur ex cibo; quia carnibus tantum pascitur, sed fere occulte et longe ab hominum conspectu; herbas non admittit, quibus tamen solis contenta est et pascitur ovis. In hunc modum hypocritæ suas commoditates et carnis delicias quærunt, iis tamen in publico non facile utuntur, sed clamet remotis arbitris, ne carnales et improbi judicentur. Spernunt

igitur esuriales cibos, et quæcumque carni molesti sunt; spernunt etiam pasua cœlestium contemplationum, quibus tamen nutriuntur, qui vere boni sunt.

Tertio, noscitur ex dentibus, quos ad rapinam et lanienam factos, mordaces atque acutos habet: ovis vero nequaquam. Ita et hypocritæ proximorum famam admordere, justorum facta laudabilia carpere et obscurare, contra Dei et superiorum placita murmurare solent. Cum enim terrenis rebus affixi sint, inique ferunt ea sibi, tamquam justis non affatim distribui, alios sibi præferri, secumque male agi conqueruntur, juxta id Isa. LVIII. *Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt*, (hoc est, ut exponit Cyrillus, me in jus vocant, suam allegantes justitiam meorumque consiliorum iniquitatem) *quasi gens quæ justitiam fecerit, et judicium Dei sui non dereliquerit: rogant me judicia justitiæ: appropinquare Deo volunt*, ut cum Deo scilicet disputent, quare sinat eos sine causa premi calamitalibus: unde subdunt: *Quare jejunavimus, et non aspexisti, etc.* Ad vero justis de æterna tantum felicitate solliciti, semper se accusare et demisse orare solent.

Quarto, ex conversatione. Ovis enim gregatim vivit, et societate gaudet, lupus vero solitudine, unde vel solus semper, vel cum paucis aliis lupis graditur. Pari modo hypocrita fugit sæpe hominum consuetudinem, fingens se illorum pravus moribus offendi, cum paucis sui similibus in angulis versatur, et consilia sua communit. Contra justorum est neminem aversari, sed omnes se meliores reputare, ideoque ex illorum societate semper aliquid solatii aut doctrinæ quærere, vel occasionem ipsos instruendi.

Quinto, ex ipsa etiam pelle. Tametsi enim lupus ovina se pelle tegat, ut supponimus, adhuc tamen haud difficile dignosci ab ove potest. Nam ovis licet tondeatur, semper tamen gerit lanam, quæ mox iterum succrescit, at si tondeatur lupus pellem ovinam gerens, non succrescet ipsi lana. Sic vera justis virtus tribulatione roboratur, simulata vero seu hypocrisis detegitur, et nuda atque inanis esse ostenditur. Unde S. Augustinus in id Matth. VII. « Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, ait, cum ceperint aliquibus ea ipsa subtrahi vel negari, quæ isto velamine consecuti sunt, vel consequi cupierunt, tunc necesse est, ut appareat, utrum lupus sit in pelle ovina, an ovis in sua. » Denique, talis lupus duplicem gerit pellem, ovinam foris, intus vero lupinam: at ovis unam tantum et uniformem gerit; ita justus simplicitate gaudet, quia simulare nescit: hypocrita duplex est, foris bonus, intus malus. Sane hoc colligimus a Deo prohibitum fuisse, cum Deut.

XXII. ita decernit Moyses: *Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est.* Hujusmodi pannus est, qui vocatur Italice mezolana, quod partim ex lana, partim ex lino confectus sit. Sed quid attinebat hanc vestem prohibere, nisi quia hypocrisin representat? Quare videat unusquisque ne in animo saltem vestem de mezolana gerat. Quid enim legimus apud Sophoniam, c. 1. *Et erit in die hostiæ Domini* (qua scilicet impios mactabit veluti hostias) *visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrinæ.* Peregrina vestis est hypocrisis. « Quid enim, inquit Rupertus, magis est peregrinum, quam sunt lupis rapacibus vestimenta ovium? Quid magis peregrinum, quam eum, qui intus plenus est iniquitate, foris hominibus justum apparere? » Quisquis ergo in die illa trucidari non vult cum lupis, studeat esse ovis.

CONCIO VIII.

FRUCTUS HÆRESEOS.

I. Cæcitas et errores. — II. Impietas. — III. Morum corruptio.

THEMA.

A fructibus eorum cognoscetis eos. Matth. VII.

Lata est sententia a Christo judice in hæreses nostri temporis: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.* Si arbor, quæ non facit fructum bonum, quanto magis arbor, quæ fert fructus malos? Talis autem est hæresis nostri temporis Calviniana et Lutherana; itaque tandem (quia jam sat diu expectata est) tempus est ponendi securim ad radicem, eamque excidendi. Verum quoniam reis supplicio mulctandis prius proponuntur eorum malefacta coram universo populo, ut appareat eorum justa condemnatio, idcirco etiam nos proponemus hac concione pessimos et morte dignos illarum hæresum fructus, ut ex illis arborem agnoscamus, eamque ultimo excidio dignissimam videamus.

I. Cæcitas et errores. Nam primo, parit miram rerum divinarum et quæ ad fidem spectant, ignorantiam. Constat hæreticos nostros inter alia nihil pene scire de sanctis Ecclesiæ approbatissimis, eorumque vita, cum tamen apud catholicos vel parvuli eos norunt. Ratio, quia illi sanctorum gesta, utpote moribus et dogmatibus eorum prorsus contraria, exterminant et legi prohibent. Quid facilius et vulgatius quam formare signum crucis? Id tamen non potuit vel ipse Lutherus, quo modo faciunt in missa sacerdotes. Cum enim inciperet aliquando hujusmodi cruces mira digitorum gesticulatione

formare, nec tamen veteri more et instituto dosset, dicebat in colloq. mensal. tit. de sacram. Alt. At longe versatior fuit Lutherus in ludo illo chartarum, qui Germanicis dicitur, quam in Ecclesie ritibus; et in eo utique felicior.

Secundo, errores crassos et inauditos eosque innumeros. Quales sunt nostrorum hæreticorum, inter alios hi sacerdotalementem ordinem nullum esse, clavium potestatem omnibus communem esse; liberum arbitrium in homine non esse, sed omnia absoluta necessitate fieri; Deum peccati auctorem esse; missam non modo non prodesse vivis et defunctis, sed esse insuper idololatricam; purgatorium nullum esse; præcepta decalogi servari non posse; opera bona meritoria non esse, imo ex se peccata esse; solam fidem justificare ac salvare, ita ut nemo baptizatus damnari possit, nisi nolit credere; sanctorum in cælo intercessionem nullam esse; celibatum et vota monastica impia et stulta esse, etc. Hæ sunt proles, hæc monstra, partim Calvini, partim Lutheri; quæ ubi vidit anno 1521. in Wormatiensi conventu Carolus V. imp. publico edicto ea proscripsit, velut inaudita in Ecclesia, decrevitque regna sua omnia, imperium, ditiones, amicos, corpus, sanguinem, vitam denique ipsam et animam impendere, ne impia illa dogmata longius proserperent, in rescripto ad ord. imperii apud Melch. Goldast. tom. II. const. imp. fol. CXLII.

II. Impietas et religionis exterminatio, similiaque mala ex hæresi profluentia. Hujusmodi est primo, sacramentorum plerorumque et rerum sacramentalium, uti aquæ benedictæ, etc. extirpatio; ut ita in Ecclesia nulla sit medicina læsis et infirmis secundum animam. Ea vero quæ retinuerunt, abjecte tractant ac sine reverentia suscipiunt: denique, omni sacrificio carent.

Secundo, sacrorum profanatio, ss. imaginum combustio et destructio, templorum eversio et exustio, monasteriorum expilatio. Quorum rudera adhuc existentia eversores suos accusare videntur, juxta id Habac. II. *Lapis de pariete clamabit, et lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit.* Par ratio est de festis diebus, quos vel magna ex parte exterminarunt, uti imprimis Calvinistæ, qui solum dominicum diem retinuerunt: vel impune violant, cum sine aliorum scandalo possunt.

Tertio, sacræ Scripturæ depravatio. Sustulerunt enim e sacro et recepto canone integros libros, sententias, voces; easque depravarunt: deinde, Scripturam perperam exponunt, juxta suum placitum, non juxta Ecclesie et ss. patrum receptam et usitatam semper consuetudinem.

Quarto, traditionum apostolicarum explosio, sine quibus tamen ne sacræ quidem Scripturæ consistere possunt. Nimirum hæ illorum commentis contrariæ sunt.

Quinto, sanctorum patrum contemptus, nec non sacrorum canonum, quos Lutherus publice comburere non timuit.

Sexto, odium et contumeliæ in papam; quia sciunt se ab eo mox erroris damnandos, si eum confiteantur summum Ecclesie pastorem et Christi vicarium. Ergo antichristum eum clamant et omni contumeliarum genere proscindunt. Nihil tamen fere aliud agunt, quam ut primo quæcumque unquam ab aliquo pontifice male gesta sunt, toti ordini impotent et exagerent; ut si quis Achabi vel Manassis scelera cunctis regibus attribuat, ideoque sceptrorum vim tollat; vel si quis omnes monachos vituperet, quia Lutherus nequam monachus fuit. Secundo, ut quæcumque contra pontifices unquam ab eorum inimicis ficta sunt, tamquam oracula cum auctuario proponant: quæ autem pro pontifice dicuntur ferventius, illa in contumeliam rapiant. Ut cum dicitur pontifici datam in terra potestatem solvendi peccata, sicut Deus in celo solvit; mox clamant, nos pontificem æquare Deo; quasi particula sicut, æqualitatem tantum, non etiam similitudinem significet. Cellarius æque ac dominus aperire et intrare cellam potest (quia clavem ab eo accepit) non tamen pari auctoritate. Ad convicia etiam picturas addidit Lutherus. Leonis enim papæ imaginem jam ad instar cornuti diaboli, jam sub forma asini Midæ habentis auriculas, jam speciem serpentis faucibus hiantibus minantis depingi eum fecit, suisque apponi libris, uti scribit Sleidanus. Ac licet propter hujusmodi convicia et opprobria a multis reprehenderetur, et imprimis ab ipso Philippo Melancthone monente ut majori uteretur modestia ac ratione, respondit: « Velle se pro tali haberi, velle maledicentia, conviciis et opprobriis contra papistas refertum videri; imo pulchrum sibi et gloriosum ducere, si usque ad vitæ finem execrationibus et injuriis contra furciferos istos sese exercere possit, et citius eos aquam e pumice quam vel unum bonum verbum ex ore ipsius expressuros, » Flor. Raim. I. 1. de orig. hæres. c. XI.

Septimo, rebellio subditorum contra magistratus, quemadmodum et seditiones, bella, dissensiones non tantum in integra natione, sed etiam in eadem civitate, familia, domo. Scripsit Lutherus, in bulla contra ord. eccles. *Evangelium, quocumque venit, oportet ut tumultuetur; nisi id faciat, non est verum.* Hinc Saxonem electorem incitavit contra imperatorem, rusticos contra suos principes, etc.

Octavo, persecutio Ecclesie et catholicorum. Sensere hanc catholici. Primo, sub imperatoribus Arianis, Constantio, Valente, etc. deinde, sub imperatoribus Græcis iconomachis, Leone, Isaurico, Constantino Copronymo, etc. Gothi Ariani afflixerunt Italiam, Vandali Africam, Albigenses Galliam, nostro vero sæculo Hussitæ Bohemiam, Lutherani Germaniam, Hugonotæ Galliam, Puritani Angliam, Geusi Belgium; uti ex parte sentiunt etiam non catholici. Vultin audire hæreticæ tyrannidis aliquot specimina? Circa annum Domini 770. sub Constantino Copronymo iconomacho monachi quadraginta duo truncatis naribus, barbisque illitis pice combustis, in balnei fornice clausi, ibique fame consumpti martyrio coronati sunt, ut habet chronic. Sigeberti, anno Domini 770. et martyrol. Romanum 12. januarii: Macedonius hæresiarcha sub Constantino imp. catholicos inaudito tormentorum genere cruciatus occidit. Inter cætera, fidelium mulierum ubera inter labra arearum compressa dissecuit, et candenti ferro combussit, ita martyrol Rom. 30. martii. Euty-chistæ Alexandrini statim post mortem Marciani imp. catholici, Proterium episcopum et patriarcham spum catholicum cum alijs clericis tanta crudelitate occiderunt, ut viscera ejus gustarent, et crudas carnes comederent, reliquum corpus per plateas urbis trahentes. Ita Evagr. I. de hist. eccl. c. IX. Hæc veteres, quibus non cessere nostri hoc ævo vel in crudelitate carnifices, vel in constantia martyres Angliæ, Galliæ et Belgii, ut patet ex theatro hæreticæ crudelitatis. Audi unum illustre e multis.

Delphis Bataviæ urbe Cornelius Musius captus est, et jussu Guilielmi principis Auriaci sic varie est cruciatus. Altissimæ scalæ manibus vincis est appensus, et ad pedes intolerabile pondus alligatum, ut compages omnes laxarentur: inde ardentibus tedis ambustæ axillæ. Mox resupinus constringitur, aqua fervens ori infunditur, eaque totus venter oppletur, quem sic fustibus denique tundunt, ut ex omnibus corporis foraminibus illa tota efflueret. Postea capite deorsum verso ex duobus pedum majoribus digitis appenditur: inde truncatis manuum pedumque digitis, per nivem sanguine proprio cruentatam in urbem Lugdunum Batavorum raptatur, atque ita demum post tot supplicia laqueo suspenditur. Ita annales Belgici, et ex iis Thomas Bozius, tom. 1. de signis eccl. I. XI. c. I. et Corn. a Lap. in Dan.

Deinde, qualem persecutionem hoc anno 1633. et præcedente pertulerit ab hæreticis Ecclesia, vix magnis libris comprehendi potest: læget et stupebit posteritas.

Nono, libertas carnis, quam fere omnes quæ-

sierunt, qui ab Ecclesia desciverunt. Bene S. Hilarius comparat eos porcis illis, in quos migravit dæmonum legio, Matth. VIII. « Videntes, inquit, dæmones non sibi jam locum in gentibus derelinqui, ut patiat eos habitare in hæreticis deprecantur: quibus occupatis totus in mare impetu rapido per præceps grex coactus est, in cupiditatem scilicet sæcularium, etc. » in c. VIII. Matth. Nulla apud eos abstinencia, nulla jejunia, nulla pene sacrorum temporum ratio, nulla vigiliarum et quadragesimæ observantia, sed perpetua bacchanalia, inaudita turpitudine, impudicitia et libido, ita ut femina se passim apud eos denudare non erubesceret. Audiamus horrendam Lutherane feminae Lipsiensis libidinem, quam Manlius, in locis communibus et Rescius, XXXIV. miscell. refert. Hæc in Lutheri schola ac doctrina educata, clam cum filio incestus consuetudinem habuit, adeoque filiam ex ipso concepit et clam ipsam educari curavit: quam grandiusculam, filius amore ejus perditus, uxorem accepit, atque ita ejusdem pater, frater et maritus factus est. Mater, quæ sola id sciebat, jam morti vicina Luthero rem omnem aperit; Lutherus ad theologos suos Witembergenses refert; a quibus conclusum fuit, matrimonium hoc disturbandum non esse, nec ullam peccatrici illi pœnam imponendam, sed fidem tantum, cujus aliis in cælum evolare possit, inculcandam esse.

Decimo, atheismus; hic enim fere desinunt hæretici. Unde card. Hosius atheismum vocat Lutherane et Zwinglianæ perfidiæ perfectionem, centrum, scalæ summitatem, Oecolampadius totus fluctuans et dubius in fide obiit. Bucerus in obitu de adventu Christi dubitare visus est, ut scribunt, apud quos obiit, adeoque Judæus potius quam Christianus. Carlstadium scribit Lutherus, I. contra cælestes prophetas, adeo impium fuisse, ut neque in terris, neque in cælis ullum Deum existere crederet.

III. Morum corruptio et perversitas. Testatus hoc est et vidit ipsemet Lutherus, ita ut obstupescens dixerit, homines deteriores esse in Lutherismo, quam in papatu. Aurifaber enim in convivalibus Lutheri sermonibus scribit, sæpe dixisse Lutherum cum suspiriis: *Post revelatum evangelium* (per Lutherum ilicet) *virtus est occisa, justitia oppressa, temperantia ligata, veritas a canibus lacera, fides clauda, nequitia quotidiana, devotio pulsa, hæresis relicta.* Idem tom. III. Lat. Wittemb. in Psal. II. fatetur, per ipsius evangelium omnis generis scelera summamque vitæ licentiam in mundum irrepisse, ita ut velut equus effrænis quisquis vult agat: et in dom. 1. advent. serm. II. possideri homines sub evangelio (ipsius) a septem

dæmonibus, qui prius sub papatu ab uno dæmone possidebantur. Idem ei per litteras exprobravit in *Actibus Saxonæ* dux Georgius cum ait: «Per tuam tuorumque discipulorum doctrinam omnes antiquæ jamque alias damnatæ hæreses renovantur, omnis verus Dei cultus convellitur, quantum a temporibus Sergii (impii apostatæ) nunquam factum est. Quando enim plures rebelliones contra magistratus legitimos excitatæ, quam ex tuo evangelio? Quando plures factæ sunt direptiones sacrarum ædium? Quando plura adulteria, quam ex quo tu scripsisti, si qua mulier a suo marito fecundari nequeat, ut ad alium accedat?» Sic ille. Legatur ipsemet Lutherus, in sermon. de usura, tom. VII. fat. Wittemb. ubi queritur, omnia plena esse furtis et rapinis, et nihilo secius patibula omnia vacua reperiri. Queritur de avaritia et crudelitate rusticorum, civium, nobilium, principum, putatque; omnes vere pios rusticos, qui sunt in uno ducatu vel ditione, in uno eoque non magno pago sat loci habituros; omnes pios senatores et cives unius ducatus in una non maxima civitate, omnes pios nobiles et præfectos in una non maxima arce: principes porro bonos carnem esse ferinam, hoc est, rarissimum animal in cælo. Quis hic quæso, non accinat Lutheranium illud odarium: Ad hunc fructum pertinet primo honorum operum extirpatio. Cum enim doceant bona opera omnia ex se peccata esse, nulla peccata homini ad salutem obesse posse nisi nolit credere, etc. quis ex ipsis bona opera patrare, mala fugere nitatur? Hinc apud eos rarus et exiguus orationis usus, quod ante paucos annos quidam Lutheranus testatus est, cum feria sexta majoris hebdomadæ templum catholicorum ingressus, devotione eorum spectata dixit: *Plus hic oratur in uno die, quam apud nos integro anno.* Hinc raræ et exiguæ apud eos eleemosynæ, quod vel ipse Lutherus testatur in postilla, sup. evang. de epulone et Lazaro cum ait: et in dom. XXVI. post Trinit. exagitat ad longum suorum avaritiam et duritiam erga pauperes, scholares imprimis et prædicantes, ubi inter alia ait: Sentiunt multo magis hanc eorum avaritiam nostri pauperes, qui a monasteriis per eos occupatis nihil amplius eleemosynæ capiunt.

Secundo, veteris confidentiæ et sinceritatis exilium. Nam ut bene S. Hieronymus, in c. X. Matth. ait: *Nullus est inter eos affectus fidus, quorum diversa est fides.* Nec mirum; nam quis illis fidat, qui Deo et Ecclesiæ datam fidem non servarunt? Hinc fidem in religionis negotio, seu Deo, seu homini obstrictam fallere nihili ducunt, mentiri, etiam in bonum proximi licitum existi-

mant, et docuit nuper Thummus Tubingensis doctor publico scripto.

Tertio, odium ecclesiasticorum, præsertim eorum, qui illorum libertatem (ad credendum quidquid volunt) impugnant, uti imprimis patrum societatis, quos undique traducere mendacibus et famosissimis libellis, omnibusque exosos reddere conantur.

Quarto, oppressio catholicorum in eorum ditionibus et civitatibus. Laborant enim, ut adscitis tantum suis consortibus catholici e magistratu excludantur, ac cum viribus prævalent etiam e civitatibus; vel saltem prohibent eis exercitium religionis catholice, vel compellunt eos eorumve liberos ad conciones vel catechesin hæreticorum; tametsi ipsi initio semper libertatem fidei et conscientie clamarent ac postulerent; quodque amplius est, neque suis permittunt aliter credere atque ipsi credunt.

Quinto, insidiæ et machinationes contra principes suos legitimos, a quibus nisi fidei libertatem impetrent, deficiunt et tumultuantur, leges præscribunt, easdemque exauctorare sagunt, quemadmodum nuper elapsis annis fecere Bohemi rebelles et hæretici legitimo suo regi Ferdinando, nunc imperatori piissimo, quod idem machinantur jam Lutherani et Calviniani.

Sexto, perditio denique temporalis et æterna. Quid enim imprimis perdidit reges et regnum Græcorum, nisi hæresis? Cur in feriis pentecostes capta a Turcis Constantinopolis, nisi quia Spiritum sanctum hæretice senserunt non procedere nisi a Patre tantum? Quid Joannes Fridericum Saxonie ducem ab electorali dignitate cum suis posteris dejecit, nisi hæresis, et innata rebellio contra imperatorem? Quid Fridericum Palatinum nuper pari dignitate et principatu exuit, et in exilium pepulit, nisi similis culpa?

Denique, in hujus temporis hæreses quadrat, quod S. Bern. ep. CXXI. ad Hildephonsum comitem scribit de sui temporis hæreseon fructibus: «Versatur, inquit, in terra vestra sub vestimentis ovium lupus rapax. Sed ad Domini designationem, a fructibus ejus cognoscamus illum.» Postea eos enumerans subdit: «Basilicæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reverentia sunt, et sine Christo; deinde Christiani, Ecclesiæ synagogæ reputantur, sanctuarium Dei sanctum esse negatur, sacramenta non sacra censentur, dies festi festivis frustrantur solemnibus, moriuntur homines in peccatis suis, rapiuntur animæ passim ad tribunal terrificum, heu! nec pœnitentia reconciliatæ, nec s. communionem munitæ, etc.»

Vidimus hæresum, maxime quæ nunc

vidimus arborum malarum pessimos fructus. Vos nunc judicate, auditores, an hæ tales arbores excidium non mereantur.

CONCIO IX.

HÆRETICI DEPINGUNTUR.

I. Veniunt.—II. Ad vos.—III. In vestimentis ovium.—IV. Intrinsicus sunt lupi rapaces.—V. Sunt spinæ, tribuli.

THEMA.

Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. Matth. VII.

Gravissimum fuisse oportet scelus Hebræorum, quo recedentes a veri Dei cultu vitulum excitant, et pro Deo coluerunt. Hujus enim flagitii immanitas ex eo imprimis enituit, quod Moyses, vir cæteroqui mansuetissimus, ira inflammatus una cum levitis suis gladio id ulcisci usque ad internecionem viginta tres millium minime dubitaverit, Exod. XXXII. Scelus id Judæorum, hæreseos typum fuisse, nemo arbitratur, non videt. Quid enim est derelicta vera Christi Ecclesia, ejusque sacris dogmatibus, aliam sibi, eamque vitulinam, hoc est, carnem et libertati addictam erigere Ecclesiam cum aliis inauditis et stolidis dogmatibus; quam relicto vero Deo vitulum simulque miserandum schisma in electo Dei populo excitare? Quantum vero hoc scelus sit, vel ex eo nobis innotescet, quod Salvator noster, mitissimus alioquin, una cum servis suis, Ecclesiæ pastoribus et doctoribus, gladio verbi sui severe id mulcavit, dum pessimis epithetis, quasi totidem ictibus vulneravit ac notavit. Etenim ipse in hodierno evangelio hæreticos vocat: *Falsos prophetas, lupos rapaces, arbores malas, spinas, tribulos; alibi pseudochristos, fures et latrones.* Nec aliter ejus apostolus s. Petrus (II. Petr. II.) appellat eos *pseudoprophetas, magistros mendaces, servos corruptionis, indoctos et instabiles: S. Paulus pseudoapostolos, operarios subdolos, proprio judicio condemnatos, II. Cor. XI. Tim. III. Tit. III. S. Joannes antichristos et seductores, I. Joan. II. II. Joan. ep. S. Judas: Nubes sine aqua, arbores autumnales infructuosas, bis mortuas, fructus feri maris despumantes suas confusiones, sidera errantia.* Quibus accedunt ss. patres. S. Ignatius comparat eos canibus rabidis, serpentibus, basiliscis et squamosis draconibus, in ep. ad Smyrn. eos: S. Cyprian. lupis et canibus, ep. LII. S. Ambros. noctuis et vulpibus, serm. XLIII. S. Hieronym. scarabeis, in c. II. Habac. et lib. contra Luciferianos, appellat eos idololatrias iisque deteriores: S. Augustinus scimitas, I. IV. in Jul. c. IX. Vincentius Lirinensis

ranas et muscas, in commonit. Scimus etiam S. Polycarpum Marcioni hæresiarchæ respondisse: *Cognosco te primogenitum Satanæ, apud Irenæum, I. III. c. III. scimus S. Hilarium, lib. contra Auxentium scripsisse: Mihi non erit aliud quam diabolus, quia Arius est.* Videtis, auditores, quantos ictus, quanta vulnera inflixerit noster Moyses una cum levitis suis, pessimi illius vituli, hæreseos sectatoribus. Neque hoc tantum; sed præterea in hodierno evangelio, dum invehitur in hæreticos, depingit eosdem suis coloribus, quo agnoscere illos et fugere possimus. Picturam hinc aspiciat.

I. Quinam igitur sunt falsi illi prophætæ, a quibus attendendum? Primo, illi sunt, qui veniunt. Qua voce indicatur primo, eos nequam mitti legitima potestate, sed ultro venire seu illegitime; quod profecto indicium est falsorum prophetarum, ut habetur Jer. XXIII. *Non mittebam prophetas, (inquit Dominus) et ipsi currebant, non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant: et ad Hebr. V. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Porro tres sunt viæ seu tria foramina, quibus irrepunt pseudoprophætæ. Vel enim seipsos intrudunt, non missi a quoquam; uti Simon magus, Montanus, Manes, et nostro sæculo Calvinus, David Georgius, Jo. Leidacus et similes, qui ex suo cerebro confixerunt novum idolum, et populo proposuerunt, sine alicujus instructione aut commissione. Vel mittuntur quidem, sed ab iis, qui potestatem mittendi non habent, uti sunt magistratus sæculares. Nulla est hæc missio, quemadmodum et illa foret, qua rustici, v. g. mitterent quem Viennam, ut esset præfectus aulae imperatoriae. Christus misit suos apostolos, apostoli suos discipulos, creates eos episcopos et presbyteros per impositionem manuum: uti S. Petrus Marcum Alexandriam, Apollinarem Ravennam, Crescentem Moguntiam, etc. S. Paulus Timotheum ad Ephesios, Titum ad Cretenses. Nullos reperiamus missos et ordinatos a sæculari magistratu. Vel mittuntur quidem a legitima potestate, sed alia concionantur et actitant, quam acceperint in mandatis: propria nimirum commenta, commissioni suæ contraria, eujusmodi erat Arius, Lutherus, Zwinglius, et alii, qui ordinati in Ecclesia sunt presbyteri, et creati doctores; sed non ad docendum, nisi fidem catholicam. Nota autem est regula illa generalis, facultatem, quæ alicui datur, tunc facto ipso revocari, cum quis ea adversus datorem utitur: *Quia actus non operantur ultra intentionem agentium, inquit jura.* Cum ergo missi non sint, diaboli apostoli sunt.

Secundo, indicatur eos blande et modeste venire. Non enim irruunt vi, neque evocant ad